



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

Notae Iacobi Sirmondi Societatis Iesv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

ANNO
CHRISTI
442.

tor, vel calumniator extiterit, vt homicida ecclesiastica distictione feriat.

NOTÆ IACOBI SIRMONTI
SOCIETATIS IESV.

¹ *Concilium Vasense.*] Qui pro duobus Conciliis Vasensibus tria fuisse contendunt, frustra se torquent, & nodum, quod aiunt, in sirpo quærunt. Duo quippe, nec plura, in omnibus antiquis exemplaribus leguntur, suis apte distincta Canonibus. hoc primum sub Leone papa, & alterum post annos fere 90. sub Felice IV. Neque in his vlla, quod putant, est confusio. Sed vt tertium his antiquius Vasense Concilium fingerent, impulit falsa opinio, qua sibi Concilium Arelatense II. in quo Synodi Vasensis mentionem fieri videbant, multo ante hæc tempora celebratum persuaferant, cum ex Vasensis contra Synodi mentionem posteriorem illa fuisse Arelatensem concilii debuerit.

² *Apud Auspicium episcopum.*] Editiones vulgatæ, apud Urbicum episcopum. Sed Auspicium habent omnes manuscripti, cum videlicet qui proxime Concilio Regensi & Arausicano cum ceteris subscripsit: ex hoc vero loco Vasionensem episcopum fuisse intelligimus. Quamquam autem subscriptiones hic nullæ sunt, quæ aliorum episcoporum nomina indicent, sunt tamen qui episcopos ad hanc Synodum conuenisse tradant numero XV. alii duodeuiginti.

³ *Quidam patrum.*] S. Hieronymus in epistola 2. ad Nepotianum. Iugulat ergo hic locus errorem illorum qui Concilium Vasense, in quo editus est hic Canon, & Arelatense II. a quo laudatur, ad Iulii papæ tempora referri posse augurati sunt.

⁴ *Sane si quis.*] Rectius opinor codex Lugdunensis, item & Fofatensis, nouum hic Canonem non statuunt, sed hoc membrum cum superiore velut eius partem coniungunt.

NOTÆ SEVERINI BINII.

^a *Concilium.*] Sicut acta & Decreta huius Concilii propter miram Canonum confusionem incerta sunt, ita quam ob causam celebratum sit certo affirmari nequit. Si communem sententiam sectantes decem capitula, hæctenus edita sub nomine Vasensis illius quod tempore Leonis celebratum est, eidem adscribamus, quid in hoc Concilio actum sit, ex titulis eorumdem capitulorum cognosci potest. Et quamquam manifestum sit ex iis quæ supra dixi in notis Concilii Vasensis I. sub Iulio capitulum quartum non in hoc, sed potius illo priore constitutum esse, ad euitandam tamen maiorem lectoris confusionem, omnia capitula hæctenus sub nomine huius Vasensis edita, huic loco relinquere volui.

Qua de causa celebratum sit, incertum est.

Canones Vasenses confusi.

^b *Vasense.*] Sic dictum a Vasionem, quæ est ciuitas in Gallia Narbonensi. Vnde rectissime & conuenientissime alio nomine Vasionense Concilium appellatur. Quod supra in notis Vasensis primi dictum

Vasense unde sic dictum.

Concil. Tom. 7.

OO